

*Doc. 46 (Scriptum est iustitiario
Basilicate tam presenti quam
futuris devotis suis etc...)*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

*Doc. 46 (Scriptum est iustitiario
Basilicate tam presenti quam
futuris devotis suis etc...)*

1310-02-02

Scriptum est iustitiario Basilicate tam presenti quam futuris devotis suis etc.

Intellectualis virtus optanda, scientia si naturaliter ut perfectivum bonum anime rationalis appetitur, ex consequentia studium prudenter amatur, per cuius solertes tramites ipsius meta virtutis attingitur et regulatur provide humanorum actuum lucida disciplina. Sane clare memorie dominus Karolus Ierusalem et Sicilie rex illustris, proavus noster, actente considerans quod ex ipsius laminatione scientie viri sapientes efficiuntur et docti, per quorum numerosa consilia orbi terrarum sanitas provenit, potestas regit et regitur et communis status universalis compendii utiliter gubernatur, salubri ordinatione providit generale studium in sua vigere republica, ut per applicationem ad illud sedulam et solertem, disponente divino lumine, in studentium frontibus sapientia luceat et virtuosorum in illa pluralis numerus votive succrescat. Et quia studentibus sumptus oportet adesse subsidium quo vita ducatur, et alia suppetant exercitio studii oportuna, ut eo potius studiosis pateat studendi facultas, quo per sue gratie participium ad id senserint se iuvari, immunitatem eisdem studentibus in studio civitatis Neapolis a generalibus subventionibus, collectis donis et oneribus aliis imponendis per curiam regiam decrevit prout infra describitur concedendam. Ea propter devotioni vestre vicariatus qua fungimur auctoritate mandamus quatenus si vobis constiterit Aymarium de Lacupensuli de potentia per certas litteras doctoris ipsius in eodem studio circa legalis acquisitionem scientie studere continue. Ita quod nec simulatus nec vacabundus studens appareat, nec commerciorum questibus se connectat ipsum ab

omnibus subventionibus, exactionibus collectis donis et oneribus aliis imponendis per dictam curiam, servetis immunem, donec in eodem stadio modo iam dicto fuerit et post etiam dum tamen probabiliter clareat eum studendi retinere propositum et studiosi animum non lassare, non permittentes quod idem studens ab aliis suis concivibus vel ministris nostris saper immunitate premissa quomodolibet molestetur. Proviso ne pretextu immunitatis eiusdem bona parentum et consanguineorum dicti Aymarii in exemptione prefata per quamvis colludii aut fraudis astutiam includentur. Presentes autem post oportunam inspectionem earum restitui volumus presentanti dicta immunitate durante efficaciter in antea volituras.

Datum Neapoli per Nicolaum Frictiam de Ravello etc.
Anno domini MCCCX die II februarii VIII indictionis.